DE CICUTAE OFFICINALIS VIRTUTIBUS MEDICIS DISSERTATIO...

Carlo Gandolfini



DE

CICUTAE OFFICINALIS VIRTUTIBUS MEDICIS

Dissertatio Inauguralis

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS AC PRAESIDIS FACULTATIS MEDICAE SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM UT DOCTORIS MEDICINAE LAUREA SUMMIQUE IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA RITE CONSEQUANTUR IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

DOCT. ALOYSIO SCARENZIO

Pathologiae Generalis atque Pharmacologiae Professore Ordinario

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

Mense Feb. anno 1843

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

Gandolfini Carolus

EX S. GREGORIO PROV. BERGOMENSIS



TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.



240

OPTIMO

AC DILECTISSIMO AMICO

DOCTORI

MARABINI PETRO

IN

PRAXI MEDICA, ATQUE CHEMIA

PRAESTANTISSIMO

HOC PRIMUM

QUODCUMQUE SIT MEDICINAE CONAMEN

LUBENTISSIME

SACRAT

AMICUS.

PROOEMIUM

Habent sua fata medicamenta , sicuti caetera omnia , ait Ramazzini, et hujus effati veritatem *Cicutae* exemplum demonstrat. Hoc remedium, quod nunc fere obsoletum in pharmacopolarum officinis relinquitur, olim contra quamplurimos morbos (1) praestantissimum auxilium celebrabatur. Ergo ne saeculi decimi-

(1) Cicuta contra sequentes morbos laudabatur. 1. Scirrhus et Cancer ; 2. Scrofula ; 3. Obstructiones et tumores variae indolis ; 4. Ulcera; 5. Syphilis; 6. Erpes ; 7. Tinea ; 8. Phthisis pulmonalis ; 9. Asthma ; 10. Leucorrhaea ; 11. Scorbutus ; 12. Cataracta ; 13. Hemeralopia; 14. Amaurosis; 15. Hydropes; 16. Amenorrhoea ; 17. Ophthalmia ; 18. Epilepsia; 19. Rachitis ; 20. Haemorrhoides; 21. Polypi ; 22. Vomitus; 23. Nevralgiae ; 24 Gutta, Podagra, etc. ; 25. Stranguria.

octavi medici, qui quammaxime cicutae virtutos laudarunt, temere et inepte de hoc remedio judicarunt? an vero iniquus potius est recentiorum medicorum *Cicutae* contemptus? Erit ne *Cicuta* ex remediorum catalogo expungenda, vel in usum medicum adhuc reservanda?

Ut dubius hac in re amplius non haererem, omnes quas potui observationes, usum *Cicutae* medicum respicientes, attente perlegi; medicorum judicia, circa hoc remedium, non raro contraria conferre diligenter curavi, et nunc fructum meorum studiorum hic expono (1).

(1) Omnia de Cicutae usu medico observata in usum collegit A. L. J. Bayle, in opere = *Travaux thérapeutiques* Tom. III, Paris, 1835.



I.

Veteres medici cicutam externe tantum praescribebant. Aretaeus cicutam extus admotam stimulum venereum frangere, tradidit. Plinius eam dolores et tumores tollere, nec non apostemata et ulcera tetra sanare, scripsit. Avicenna emplastrum proposuit ex cicuta ut resolvens in tumore mammarum et testis et ad lactis nimium affluxum impediendum. J. Rajus asserit, post observationes Doctoris Bovvle, pulverem radicum cicutae ad grana viginti in febribus malignis et quartana, ante paroxysmum exhibitum, omnibus diaphoreticis antecellere. Renealmus, medicus Blaesensis qui sub finem saeculi decimiseptimi florebat, internum pariter cicutae usum tentavit; ille enim pulverem radicis cicutae a scrupulo uno ad drachmam semis in vino, vel ejusdem infusum a drachma una ad drachmas duas, idque felici cum suc-

cessu in *scirrhis* hepatis et lienis ut et pancreatis gravissimis exhibuit. Paraeus quoque, Ettmullerus, Lemery cicuta utebantur; sed cauti admodum cum hoc remedio medici procedebant, et Geoffroy, magnae auctoritatis auctor, prudentiorem appellabat medicum qui ab eo abstineret (1), donec, opere et studio L. B. a Störck factum fuit (circa ann. 1760) ut cicutae usus apud fere omnes Europae medicos et chirurgos divulgatus fuerit.

Morbi, ad quos debellandos cicuta praeprimis adhibebatur, fuere Scirrhus et Cancer, Scrofula, Nevralgiae quaedam, Tussis convulsiva, de quibus singillatim mox est agendum.

II.

Scirrhus et Cancer.

Cicuta utebantur medici contra Scirrhos et Cancros glandularum conglobatarum, nec non mammae uterique; item contra ulcera cancerosa cutis, labiorum et oris. Sed non aeque optimos, variis in casibus, effectus illa prae-

(1) *Tractat. de Mater. Med.* Tom. II, p. 174, ed. Venet.

stitit. Numerantur 341 observationes, seu casus sive scirrhi sive cancri, in quibus Cicuta in usum vocabatur. Auctores omnes illarum observationum numerare, longum nimis esset: sufficiat scire, ex 341 illis observationibus, 46 ad scirrhos cancrosque spectare qui eo remedio omnino sanabantur; 28 ad casus eorum morborum in quibus Cicuta levamen tantum et symptomatum mitigationem attulit; 267 denique casus scirrhi et cancri respicere contra quos Cicuta incassum et absque ullo fructu adhibita fuit. Sed hic observatione dignum est, quod 267 illae observationes, quae tamquam inutilem Cicutam damnant, maxima pro parte vel paucam vel plane nullam sibi merentur fidem. Et re quidem vera, 120 ex illis casibus, auctorem agnoscunt Haenium, celeberrimum sane virum, optimumque clinicum, sed Cicutae et *Cicutariis* (sic Haenius vocabat medicos qui cicuta utebantur) omnino inimicum (1): auctor 36 observationum est Tralles, Haenii amicus et fautor; 100 aliae observationes Ali-

(1) Malam Haenii fidem, hac de re, in apricum posuit Hartmannus, in libro pseudonymo, cui titulus: *Alethophilorum quorundam Viennensium Elucidatio necessaria Epistolae de Cicuta*, etc. In 8.° Vindob. 1766.

bert testem habent. Omnes porro illae 267 observationes, quae efficaciam Cicutae contra Scirrhum et Cancrum infirmant, ab earum auctoribus minimae descriptae sunt, sed tantum indicatae (1). E contra; observata, quibus hujus remedii virtus contra praedictos morbos demonstratur, sufficienti symptomatum descriptione comitantur. Praeterea, maxima pars Auctorum qui ea publici juris fecerunt, fide digni sunt; quod de Störck prae primis dictum sit. Hic enim clinicus, in omnibus suis operibus, candide omnino cicutae laudes uti et infortunia celebrat. Cacrum curat (Cicuta), ait ille; id multiplici experientia convictus vidi. Nec tamen asserro, omnem inde cancrum curari... Vidi aegras pessimo mammae cancro laborantes, quas cicuta cito juvit: erant autem *plures* aliae, quibus cicuta solummodo levamen adtulit; non vero eas curavit; aliae ex usu cicutae *nullam* expertae sunt mutationem; una alterave cicutam non potuit ferre. Idem

(1) Exemplo sint Aliberti observata. » Plus de 100 femmes, affectées de squirrhe ou de cancer de l' uterus, ou dans d' autres parties, ont fait usage de ce médicament à l' hôpital Saint-Louis, sans et retirer le moindre avantage ». Art. *Cigne*, *in Mat. Med.* ejusdem Auctoris.

circa alios morbos, in quibus cicutam laudavi, intellectum voto (1) ». In quibusdam porro cancris plane confirmatis, ipsemet Störckius fatetur, ad eos curandos nihil cicutam prodesse. Morbus enim, ille ait, si jam nimium fuerit progressus, aut si totius corporis habitus fuerit penitus destructus, quid est qui curabit? aut quaenam medicina sanitatem promittet?

Medici porro Vindobonenses, cum Störckio et Van-Swieten observarunt, quod saepe scirrhi et cancri, post cicutam sumptam, in gangraenam vertantur et decidant; immo longe citius curam admittere eos quibus cancer usu cicutae in gangraenam mutatur. Exemplum hujusce exitus singulare apud Hartmannum legimus. Miserat Van-Swieten virginem 19 annorum circiter ad Nosocomium Pazmarianum (Vindobonae), ut a magno mammae scirrho, qui foedissimo ulcere cancroso erodebatur, si possibile esset, curaretur. Huic statim interne et externe applicata est cicuta. Primis diebus nulla prorsus fiebat mutatio, nisi quod dolores, qui noctes insomnes reddebant, paullo

(1) *Störck. In Supplemento necessario de Cicuta*; pag. 32 et 52.

mitiores fierent. Dum autem per octiduum idem remedium esset continuatum, ulcus caepit majus fieri; aucti sunt dolores, et effluxit copiosa sanies; pulsus tamen fere naturalis mansit, et constiterunt aegrotantis vires. Ideo licuit in ejusdem remedii usu interno et externo pergere; vesperi solummodo dabatur emulsum paregoricum, ut dolorum vehementia minueretur. His continuatis; intra triduum, totum quod erat cancrosum vel scirrhosum mutatum fuit in gangraenam. Post haec, datus est cortex peruvianus, et abstinebatur ab usu interno cicutae; externe autem applicatum fuit fomentum ex decocto corticis peruviani et aequali parte infusi saturi cicutae. Intra paucos dies, omne gangraenosum separatum fuit, et ulcus erat purissimum. Hinc seponebatur cortex peruvianus, et datum iterum fuit interne cicutae extractum, et externe apposita sunt lintea carpta, imbuta cicutae infuso, quae dein cicutae emplastro tegebantur. Hac medela intra breve tempus a pessimo cancro curata est haec puella felicissime et sanissima est adhucdum (1). Hisce sequentia addit Hartmannus. » Vidit eam Ill. Van-Swieten antequam medici

(1) *Alethophilor. quos Vienn. Elucidatio* cit., p. 57.

Nosocomii Pazmariani vel verbum inde scivissent: agnovit Ill. Van-Swieten scirrhum cancro exesum, et adivit tunc saepius Nosocomium Pazmarianum ut ipsemet omnem mutationem observaret; vidit dein puella perfecte curatam et optime valentem ».

Constat etiam ex medicorum Vindobonensium experimentis, quod, adhibita cicuta, etsi scirrhi et cancri non semper sanentur, interdum tamen aptiores redduntur ad amputationem, quum mobiles fiant antea accreti et fixi.

Akenside porro, qui nullam cicutae contra cancrum virtutem tribuit, fatetur eam dolorem in hoc morbo imminuere et puris bonae notae formationem promovere; immo eam laudat tamquam specificum anodynum in cancro praecipue uteri et topicis vitiis, in quibus morbis opio potentiorem videtur eam esse (*Murray*).

Sed hic quaeritur: quid nam experimenta, a medicis nostri aevi cum cicuta instituta, circa illius contra scirrhum et cancrum virtutes docuerint? Guersent cicutam efficacem agnoscit contra incipientes scirrhos et cancros glandularum et cutis, tam ad morbi progressum retardandum quam ad dolores sedandos; verum eodem tempore affirmat, a cicuta numquam hosce morbos vere sanatos fuisse (1).

(1) *Dictionnaire des Sciences médicales*. Art. *Cigue*.

Hallé sex mammae scirrhos, usu externo et interno cicutae, optime curavisse refert (1). Récamier, celeberrimus professor medicinae Parisiensis et medicus experientissimus, saepe cancros praecipue uteri sanavit, adhibito extracto cicutae (2).

Bayle, enumeratis omnibus, quae de cicutae usu medico extant, observationibus, concludit: » reapse tumores quosdam scirrhosos vel cancrosos cicutae ope sanatos fuisse (3) ». Cazenave utilem cicutae usum ad scirrhi et cancri progressus compescendos agnoscit (4), quam quidem opinionem et Giacomini noster amplectitur. » Il tranquillo giudizio dell' esperienza successiva pronunziò la cicuta siccome utilissimo rimedio nelle flogosi ghiandolari tendenti ad indurimento, e negli indurimenti stessi con apparenza di scirro e cancro occulto. La quale utilità se non è ogni volta completa e con guarigion radicale, è però quasi sempre manifesta, arrestando i progressi della d' altronde indomabile malattia e sedando le sofferenze e i dolori. Concorrono in tale avviso oggidì

(1) *Dictionnaire de Médecine* Art. *Cigue.*

(2) Ibid. §. III.

(3) *Bayle. Trav. thérap.* Tom. III, p. 619.

(4) Cazenave. In *Diction. de Médecine* Art. *Cigue.*

pressochè tutti i pratici, sicchè io stimo inutile avvalorarlo colle citazioni (1) ».

III.

Scrofula. Nevralgiae. Tussis convulsiva.

1.° *Scrofula.* — Ad scrofulam debellandam, utebantur cicuta optimo cum successu Störck, Collin, Quarin, Locher, Marteau, Pelet, Rozière, Hartmann, Tralles, Hufeland, Dzondi, aliique. In Italia nostra, cicuta optime curabantur non modo tumores glandularum, sed tumores colli strumosi; item crusta lactea cum tabe glandularum universali combinata (*Viventius*). Glandulas tumidas colli et ulcera scrofulosa maligna, cicutae ope, ad sanitatem perduxit Trecourt. Ita profuit in scrofulis etiam ulceratis, ex observationibus medicorum et chirurgorum Tiguri factis. Schenckbecher indurationem glandularum colli, testium et glandularum pone aures et sub axillis, extracto cicutae dissipavit. Celeb. Rosenstein ad reserandam obstructionem glandularum mesenterii apud infantes efficacissimum praedicat extractum eju-

(1) *Giacomini. Soccorsi Terapeutici.*

sdem ad grana quatuor et plura per diem datum, superbibito quavis vice hydromelle tenui vel sero lactis. Notat Farr scrofulosos tumores frequenter a cicuta solutos et absque magna dosi et in breve tempus. Etiam Bierchen, qui cicutam in omni cancro genuino noxam afferre scribit, vim hoc remedium praestare expertus est in strumis scrofulosis et adhuc magis in veris scrofulis. In spina ventosa laudatur ab Hartmanno. Succo cicutae recens expresso et injecto devicit ulcus fistulosum cum carie maxillae inferioris Blom (1).

Richter porro nuper cicutam laudavit contra scrofulam irritativam et febri non gravi conjunctam etiamsi suppuratio adsit. Pro cura autem morbi radicali, cicutam cum tonicis et praecipue cum china china, mercurio, antimonio, pulveribus Doweri aliisque similibus remediis conjungere, suadet. Monet tamen, cicutae usum per longum satis tempus esse continuandum, ut boni effectus indè expectari possint. In principio tot grana extracti cicutae administrantur quot sunt pueri aegrotantis anni, pro quavis dosi; dein remedii doses augentur

(1) *Murray. Apparatus medicaminum.* Tom. I, pag. 115 et seg. Ed. Venet. an. 1795.

donec ille scrupulum unum pro quavis dosi sumat. Richter laudat praecipue, tempore veris, succum cicutae recens expressum, ad gutt. 5-10-20, alicui succo vegetabili commixtum (1).

Ex 43 scrofulae casibus, quorum cura cicutae fuerat commissa, sanabantur 34; 4 levamen accipiebant; 5 immutati remanebant. Unde patet, cicutam non spernendum contra scrofulas remedium sistere.

2.° *Nevralgiae.* — Cicuta virtute sedativa, qua gaudet, contra nevralgias rebelles non raro profuit. Prosopalgiam sanavit Fothergill, extracti cicutae auxilio, cujus usum per sex menses continuavit. Utile hoc remedium invenit Pugol adversus hunc morbum. Magna cicutae dosi prosopalgiam curaverunt Jakson et Hufeland, qui ultimus guajacum cicutae adjunxerat. Spielmann utile cicutae cum aconito connubium, ad dolorem facialem sanandum observavit. Thilenius, optimo cum successu, his in casibus propinabat cicutae extractum in tinctura guajaci volatili solutum. Siebold levamen morbo afferebat extractum ci-

(1) *Richter. Trattato compl. di Materia Medica.* Vers. ital. del Dr. D. Gola Tom. II, p. 933. Ed. Mediol.

cutae intus exhibendo, et collutorium ex infuso saturo foliorum ejusdem imperando (1).

3.° *Tussis convulsiva.* — Sepositis observationibus, cicutae efficaciam ad epilepsiam debellandam, demonstrantibus, utpote numero paucissimis, pauca addam de hujus remedii usu contra tussim convulsivam. Jam Störckius cicutae ope fugaverat tussim convulsivam a retropulsa scabie ortam, aliamque tussim vehementem pruritui ingratissimo totius corporis junctam. Butter prae primis, propriis experimentis innixus, cicutam laudavit contra tussim infantum convulsivam. Ipse extractum ejusdem in vehiculo aquoso praebet; infanti scilicet sex mensibus inferiori ad duos annos nato, granum unum, sensim pro diversitate aetatum ascendendo ad doses majores, et affirmat a cicuta unice curationem absolvi. Eandem utilitatem, in curatione tussis infantum convulsivae, a cicuta experti sunt Armstrong, Buchave, Ranoe et Lentin. Jahn efficaciam ejus laudat, sed tantum in secunda et tertia morbi hujus periodo (2).

(1) *Richter.* Op. et tom. cit. pag. 939.
(2) Id. Op. p. 941.

IV.

Cicutae agendi ratio.

Galliae medici actionem sedantem et eodem tempore irritantem cicutae tribuunt. Guersent credit, eam organa vitae animalis sedare, et organa vitae organicae irritando afficere; hinc Fourcroy dubitavit, in cicuta binas existere substantias, quarum una proprietatibus narcoticis, altera irritantibus gaudeat. Etiam Cazenave cicuta tamquam remedium narcotico-acre sive irritans considerat, nam, ad toxicam illius virtutem infringendam, emetica, acida, ammollientia et venae sectiones commendat.

Longe aliam opinionem, et meliorem, uti videtur, tuetur Giacomini noster, qui cicutam debilitantem praedicat, et electivam virtutem in systema lymphaticum glandulare et etiam in cardiacum vasculare habentem. Quae quidem opinio, de cicutae agendi ratione, etiam apud Graecos et Romanos antiquos vigebat, qui cicutam tamquam venenum frigidum considerabant. Plinius scripsit: *Sicut cicuta homini venenum est, sic cicutae vinum.* » Apud

Platonem, *in Phaedone* reperimus, quod voluerunt satellites ut Socrates, hausta cicuta, non moveretur, timentes ne calore motus veneficum cicutae frigus nimium retusum foret, sicque mors vel impedita vel saltem prorogata esset... Est apud Plutarchum historia scitu digna de illis, qui templum depopulaturis, prius cicutam potabant, secumque lagaenam vino plenam attulebant, ut si capti fuissent, veneno interirent; sin minus, vini potu se se a veneno liberarent (1) ».

Sed quidquid sit de recentiorum et antiquorum, circa cicutae agendi modum, opinione, sufficit interea medico novisse, per experientiam repetitam, hanc herbam utilitatem afferre non dubiam in curatione scirrhi, cancri, tumorum glandularum conglobatarum, scrofulae, nec non ad sedandas nevralgias et tussim convulsivam.

(1) *Hyer. Mercurialis*, *Variar. lection. in Medic. Scriptorib.* In 4.° Venetiis 1598, pag. 61. 6.

V.

Cicutae praeparata. — Dosis.

Pro usu interno, Störck primum adhibuit pulverem radicis cicutae; sed postea succo inspissato herbae, extracti nomine insignito, fere unice usus est. Extractum ejusmodi paratur ex herba, quam colligunt eo tempore quo ipsa florescit, scilicet circa dimidium mensis junii (*Giacomini*). Herbae hujus recentissimae succus exprimitur, et mox in vase terreo lentissimo igne ad spissi extracti densitatem coquitur. Longe debilius est extractum, si succus, ad illud conficiendum, exprimatur ex sicca herba cum sufficiente quantitate aquae, aliquandiu coctae. Ne coctione dispergantur efficaces partes (quod fieri odor volatilis, foetidus spissando difflatus, testatur) suasum fuit illud Solis vi densare. Extractum probae notae, juxta Störckii praecepta, est crassum, ex fusco-viridescens, et ingratissimi foetoris quasi a muribus. Quidam asserunt, efficacius esse extractum ex semine cicutae paratum (*Murray*).

Infusum quoque cum herba recenti paratur. Herbae scilicet uncia una in aquae ebullientis

libra, per horam infunditur: colatura fortiter exprimatur.

Extracti dosis initio parva sit; grani unius vel duorum, bis de die: dein paullatim augeatur, donec aeger scrupulum vel drachmam et amplius ejusdem, quavis die sumat. Tartreaux scribit, foeminam fuisse quae per totum morbi decursum *quinquaginta* libras extracti consumsit (*Murray*). Caeterum, ut cicutae virtus experiatur, illius usus per longum satis tempus, per menses videlicet et annos etiam, continuari debet. Celeb. Borda porro notavit, aegrotantes extracti doses optime ferre praecipue horis vespertinis (Giacomini).

Pro usu externo valent tam idem extractum, quam infusum vel cataplasma cum herba recenti paratum (1).

FINIS.

(1) Sequentem hujus praebet formulam Giacomini.
℞. Herbae recentis cicutae,
Folior. malvae ā̄ā *unc. semis*
Contunde in mortario marmoreo
Lactis vaccini *unc. duas*,
Micae panis q. s.
Agita diligenter leni ignis calore ut fiat cataplasma.

THESES DEFENDENDAE.

I. Cicutam, potiusquam sedantem, virtutem solventem exercere.

II. Diagnosim tumorum potissimum a notionibus anamnesticis eruendam.

III. Prosopalgiam revellentibus compesci.

IV. Sulphatem Chininae, vigentibus quoque phlogoseos symptomatibus, in doloribus recurrentibus periclitandum.

V. Ventos Australes morbis gastrico-putridis favere.

VI. In haemoptoe saccharum Saturni quandoque opitulari.

DE PNEUMONITIDE